

demonstrari possunt. Si epharmosin mechanicam, & iudicium oculorum consulamus, dicemus portiones relictas nec multo maiores, nec multo minores esse quarto quadrante circuli: vt autem exactam dimensionem habeamus, hoc omnino fieri nequit. Quare recte scribit Auerroes supra contextum 67. libri primi Posteriorum, sic inquit, *Propositio autem, qua usus est Bryso, est propositio dicens, quod ea, quæ sunt maiora vno in dispositione ipsius, & minora vno, sunt æqualia.* Sed hæc propositio est amplior, quam vt eam faciant Geometræ, & est etiam non vera, quoniam non est appropriata magnitudinibus. & maius & minus in magnitudinibus sphericis & rectis, non dicuntur secundum dispositionem vnã: hoc est, quoniam non dicitur, quod circulus maior sit superficie: immo non est proportionalitas secundum veritatem inter lineam rectam & circularem. Maxime autem hac propositione vtuntur Geometræ, cum monstrant, quod mensura circuli constituitur ex ductu dimidiatæ diametri in dimidium circumferentiæ: in eo quod monstratur, quod res, quæ est secundum hanc dispositionem, est minor omni superficie, quæ est extra circulum, & maior omni superficie, quæ fit intra circulum: igitur superficies, quæ constituitur ex ductu dimidiatæ diametri in dimidium circumferentiæ, est æqualis circulo, quoniã ipsa & circulus sunt minores vno eodem in dispositione sua, hoc est omni superficie, quæ efficitur extra circulum: & sunt etiam maiores vno eodem in dispositione sua, hoc est omni superficie, quæ efficitur intra circulum.